Oratio ima

Laus illius facti cùm obiecta à Cæsare poma pueri monachi S: Galli non aspexerunt

XXXV.

Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Psal: 118

Composita sub R. Pat. D: Athanasio Gugger, à F. Bonauentura Reding:

Magni omnino laboris, magnæ difficultatis est, non solum quæ chara
sunt relinquere, sed iucunda quoq; eorum recordatione non oblectari, quis enim
est aud: Ornatissimi qui ignoret, ita mortales habere, ut quod cordi habent id tan-
quam cor à corde abesse nunquam patiantur? ubi namq; thesaurus ibi et cor, ubi cor
ibi et thesaurus, oculos tamen coercere si quisquam est, qui carum esse existi-
met, cum utiq; adeo liberum in oculis esse oportet, ut quàm laboriosum sit eos conti-
nere, nunquam fuerit expertus, quid enim difficilius quàm a consuetudine au-
lorum abducere animum? taceo cum vel noua quædam vel iucunda rerum facies
inuitat, cum præsens adblanditur occasio, vel cum olim prælibatæ res iniuriam
delitiæ denuo se oculorum nostrorum obtutui offerunt eosq; sollicitant, nihil horum
adiicio, magnum omnino atq; singulare quiddam est oculorum continentia, si utili-
tatem spectemus, utilissima est, si pulchritudinem præstantissima, necessitat-
em quæritis? quod vitæ spiritus, arma militi, ciuitati mœnia, hoc homini oculo-
rum temperantia, est ea multarum virtutum custos ac conseruatrix, castimon-
iæ uallum ac propugnaculum unicum, solidissimus contra vitiorum torrentem
agger, est illa pueritiæ ornamentum pulcherrimum quamuis rarum, iuuentut-
is non tam illa est ornamentum quam necessitas, in viro quid non gratiæ ac
venustatis habet? quantam verò auctoritatem seni, quantam apud homines
æstimationem et reuerentiam confert atq; conciliat? in religioso autem homi-
ne tantum ea pulchritudine ac humili quadam magnificentia eminet, ut
ex hac una facilè omnia quæ religiosi animi sunt tanquam ex Tripode
Apollinis cognoscere liceat, ea igitur virtus est quam in omni hominum ætate
colere ac obseruare debemus, in pueris vel maximè, queis nihil prius nihil chari-
us, nihil solemnius est, quam iacere obliquare, circumferre oculos, constanti incon-
stantia, ad obuia quæuis rapi impetu, oculorum itaq; consuetudinem et libert-
atem quemadmodum amant iucundissimè, sic eam relinquunt difficillimè,
quid difficile tu id esse dixeris, quod non modò facile, sed sponte, sed iucundè
factum fuisse experientia docuit? iniuriad tibi Galle Sanctissime Parens, iniuriad

Licenza: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 314r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/it/zbz/D0147/314r)